



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

294. Dominica 18. post Pentecost. De Obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

518 *Sabbato Domin. 17. post Pentecost.*
rem Dei dicatur *thesaurus amoris DEI Patris*
à Methodio. Orat. de Hypapan. ab Anselmo:
de Excell. Virg. cap. 4. *Amor MARIAE*
erga Deum superat cunclarum rerum amores.
Et D. Dyonyf. Areopagit. ait: quòd ex for-
tissima dilectione separata sit anima ejus
à corpore.

Conf. 2. Frigus meum in amore Dei, visis
d. festibus in me qualitatum ejus, & pro-
prietatum, atque fructuum? Dolebo, & ad
Deum supplex accedam, atque in amorem
Dei inflammari petam, de qua ait Epiphan.
Orat. de laud. B. V. quod sit *Clibanus in-*
tellectualis, ignem & panem vite habens. Et
Andreas Cretenf. Orat. 2 de Assumpt. B.
Virg. ait, eam esse *columnam igneam, non car-*
nalem qua per lucem deducat Israellem qui fuga-
tur sed spiritualem, qua illuminet, facibus cogni-
tionis divinae, & in amorem Dei accendat. Petam
fieri particeps illius ignis divini, quia, ut ait
D. August. Tr. 3. in Joann. *Inter filios Dei,*
& filios diaboli, dilectio sola discernit.

MEDITATIO CCXCIV.

Dominica 18. post Pentecosten.

De Obedientia.

Aspiciam Dominum JESUM factum obe-
dientem usque ad mortem Crucis. Pe-
gam eum imitari

Conf. 1.

Dominica 18. post Pentecost. 519

Conf. 1. Obedientia est virtus, quæ promptam hominis voluntatem reddit ad implenda, quæ superior præcipit.

Conf. 2. Incitamenta 1. Pœnia obedientibus promissa, 2. Pœnæ inobedientium, 3. Consanguinitas Christi, cujus per inobedientiam sumus fratres, & matres, 4. Obedientia est Sacrificium vivum, & perpetuum, 5. Obedientia liberat ab errore in via Dei ideo ei sunt subiectæ visiones Dei, ut ait Cassianus, Coll. 2. cap. 15. Et probat Exemplo Pauli ad Ananiam missi. 6. *Virtutibus demones oppugnamus, obedientiâ vincimus*, inquit D. Greg. Hom. 4. in lib. 1. Reg. 7. Exemplum Christi, qui nullam legem Patris prætermisit, Consilia secutus est, semper, quæ placita erant Patri, fecit, velociter, hilariter, integrè, perseveranter, cibum suum obedientiam appellavit; denique obedientiam usque ad mortem præstitit consummatam, eandem exegit à vivis, à mortuis, ab inanimatis, *obedi- vit natura Præcepto Domini tam velociter, ut plus tardaverit Evangelista in dicendo, quàm natura in exequendo*, inquit D. Chrysostom. Hom. 33. in Matth 8. Ipse Obedientiam præmiat munditiâ cordis, & corporis, & alijs gratijs, denique liberatione a periculis.

Conf. 3. Actiones ejus. 1. Mandata Superioris exequi, 2. Affectus oppositos frænare. 3. Volun-

520 *Feria 2. Domin. 18. post Pentecost.*
3. Voluntatem subijcere. 4. Intellectum. Vide
Medit. 59. & 15. usque ad 20. Si Deus obedire
voci hominis etiam in Eucharistia, quousque
ego paralyticus non obaudiam amantissima
Domini verba dicentis: *Surge, tolle lectum
tuum, & vade in domum tuam; Surge à deside-
rijs carnalibus, carnem attolle ad voluntatem spi-
ritus, redi ad paradysum, domum tuam, vel ad
qui custodiam internam, ita Rabanus hic*

MEDITATIO CCXCV.

Feria 2. Domin. 18. post Pentecost.
De Observantia.

Aspiciam D. IESVM vultu, moribus, ser-
mone, cogitatione, observantissimum,
& ordinatissimum. Petam eum imitari.

Conf. 1. Observantia est virtus, quã ma-
iores ætate, aut dignitate, sapientiã, aut vir-
tute honoramus, eisq; officium exhibemus.

Conf. 2. Incitamenta 1. Præceptum Spi-
ritus sancti, *Coram cano capite consurge Lev.*
19. 1. In omni Republica, & Congregatione
bene constituta, hæc summa cura est, ut ma-
joribus à junioribus deferatur. 3. Observan-
tiæ oblitici duplici modo hic castigantur; qui
enim majoribus & senioribus non obtem-
perant, mille erroribus implicantur, deinde
maiores facti, à minoribus contemnantur,
4. Exemplum Christi, qui ex Observantia se
defendit